



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum
Libri quinque**

Coster, Franciscus

Antverpiæ, 1587

17 De corporis situ in oratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

DE CORPORIS SITV IN
ORATIONE.

DI VVS Augustinus libro de cura pro mort. habenda dicit, orantes de membris sui corporis facere, quod supplicati bus congruit: cum genua figut, cum manus extendunt, cum solo prosternuntur, & si quid aliud visibilitet faciunt. Tametsi enim his indiciis Deus nō iadigeat, ut hominis animum videat; ista tamē multum valere ad hominem excitandum, esseq. indicia internat cōpositio nis animi. Nā licet Deus sit Spiritus, qui ex ternalis rebus nō mouetur: nos tamen, quia sumus homines vestiti corpore, omnem illi debemus cultum, non mente tantum, sed etiam corpore; ut corporis cultus interno cultui metris respōdeat. 1. Itaq. genua flectimus, exēplo

3. Reg. 8.

Luc 22.

Mat. 26.

Luce 18.

Tertul. de Coro. mil.

Or. lib. 2.

ad uxorē.

Quadragesimē.

Qua

Salomonis & Christi; & in terra prostrati iaceamus, tanquam rei mortis; Deo quē superiorem nostrum & Dominū agnoscimus, reverentiam summā & subictionem exhibentes. 2. Stādo cū publicano, oramus duabus de causis. Primo, vt significemus, nos iā cū Christo à morte peccati resurrexiſſe. Vnde à Paschato ad Pentecosten apud veteres, stationes erant, & Dominicis diebus per annum; quibus stationibus præmittebatur ieiuniū Sabbathini, & Quadragesimē. Quia tunc cum fiducia coram Deo stamus, quando pœnitentiæ opera peccatorum remissionem attulerunt. Secundō, vt nos paratos declaremus ad ea præstāda,

quæ præcipiuntur. Sic statur ad Euangelium,
& cantica ex Euageliis desumpta, vt sunt Be-
neditus, Magnificat, & Nunc dimittis : tum
quia per verbum Euangeli, qui peccatis pro-
strati iacebamus, erecti sumus; tum vt prom-
ptos nos declaremus ad obtemperandum diui-
nis iussis. 3, Oculi in cælum eleuantur, ut co-
gitationem nostram in cælis versari declare-
mus. 4, Subinde oculi demittuntur, ad signi-
ficandum diuinæ severitati timore & inter-
num pudorem ex turpitudine peccatorū con-
ceptum. 5, Manus attolluntur, partim ut cor
significetur habendum ad Dñm: partim (vt ait
B. Chrysost.) quia dona, quæ petimus, è cælis
sunt expectanda. 6, Iunguntur manus, ut ani-
mus declaretur esse collectus, non autem di-
stractus diuersis cogitationibus. 7, Tunditur
pectus, tum vt peccata detestemur, tanquam
pœnas de nobis exigentes: tū ut cor lapideum
tunctionibus emollefaciat. 8, Qui manus in mo-
dum crucis extendunt; significant secū Christo
cruifixos, cuius crucem & passionem re-
præsentant. Hoc modo ferè se componunt sa-
cerdotes in sacro Missæ officio, in quo Christi
patientis gerunt personam.

CAPVT XVIII.

DE PROCESSIONIBVS.

ANTIQVVS est ille in Ecclesia orā-
di modus, quo in processionibus clerici
& populus precatur Deum. In quibus
præfertur crux Christi, quia videtur educi ex-

F 2 exercitus

*Hom. 79.
ad popul.
Antioch.**Aug. ser.
36. de ver-
bis dom.*